QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS XIII. MENSIS DECEMBRIS,

M. GEORGIO IOVDOVYN Doctore Medico, Moderatore.

An Scorbuto victus aërisque mutatio? 742



OMINVM conseruatrix Natura sustentatur victu, spiritu reficitur, à quibus morbi omnes ortum ducunt: ἐκ τούτων νοσοῦμεν, δὶς καὶ ζῶμεν: vt sanorum similibus, sic ægrorum diæta contrarijs gaudet, hac solâ plurimi morbi disparent, quâ neglectâ nunquam percurantur. Aër ad vitam apprimè necessarius, circumfusus, inspiratus, cordis ardorem qualitate suâ temperat, substantiâ materiam spiritibus subministrat, adeò vt qualis fuerit aër, tales existant spiritus, mox humores, dein de etiam corpus vniuersum: tenuis benéque temperatus, spiritus collustrat, sanguinem attenuat, corpus rarefacit, calorem natiuum suscitat, excrementorum exclusionem sollicitat: crassus & caliginosus contrarios profert effectus, quo fit vt morbi hyemales curentur æstate, æstiui hyeme: regionum vt anni tempestatum eadem est ratio, in morbis proinde commutandæ sunt, cùm ad prophylaxim, vt in peste, citò, longè, tardè, tum ad therapiam, exinde vlcera tibiarum Auenioni δυσαλθέα, Parisijs εὐαλθέα, capitis τραύματα contrà.



ER celeriùs, cibus validiùs corpus afficit, quem qui appetunt non planè secundum naturam afficiuntur: is dentibus in ore contritus, saliuâ respersus, in ventriculum per œsophagum partim attrahitur, partim impellitur, ibíque potui permiscetur, vt beneficio caloris natiui probè elixetur, qui, si εὔχυμος & εὔπεπτος, à spiritibus ipsum vndique permeantibus rarefit, ac ζύμωσιν quandam acquirit, per quam migrat in χυλὸν, nulli parti, ne ventriculo quidem alimentum, sed à quo excrementa facilè secernuntur, forásq; excluduntur: aperto pyloro in intestina detrusus, defæcatúsque, per venas mesaraïcas ad hepar appellens, facilè in sanguinem conuertitur omnium partium probum alimentum. Vbi verò κακόχυμος καὶ δύσπεπτος existit, neque conuenientem πνευμάτωσιν per spirituum admissionem obtinet, varijs modis functionibus officit, excrementísque pluribus colligendis ansam præbet, (ob vitium χυλώσεως καὶ αἱματώσεως subsequentis, laudabilis materiæ defectu præpeditæ) quàm possint à liene, vesiculâ felleâ, vel à totâ culinâ repurgari, sícque, restagnante multâ illuuie, morbi ac symptomata pessima sobolescunt.



X illis primas tenet Scorbutus πολύμορφος, omnium cùm morborum tum symptomatum congeries, veteribus non incognitus, maris Balthici accolis ἐνδήμιος, consistens in prauâ & occultâ qualitate, visceribus nutritioni dicatis, totíque corpori deinceps impressâ, cum humore melancholico, crasso, ichoroso, instar lixiuij salso & acri, peculiari quodam modo corrupto & putrescente, eo siquidem succis alijs crudis ac flatulentis permixto, inebriatur, expanditur, obstruitur lien, tantáque copiâ obruitur, vt non valeat ipsum foras excutere; in alias ergo partes εἰς τὰ ἄνω καὶ κάτω per vasorum tubulos impurus humor propellitur, inundat, refluit, seséque conspicuis signis promens, gingiuas tumefaciendo, erodendo, cum fœtore putrefaciendo στομακάκην excitat, oscedinem, σιαλισμόν, in tibijs σκελοτύρβην, vtrísque communem affectum gingipedium, lumbis lumbaginem, abdomini ac intestinis tormina, ἕλκος αἱματηρὸν, œsophago constrictionem, ac propè strangulationem, cruribus spontaneas lassitudines, versicolores tibiarum maculas, vlcera telephia, ventriculo ructum, nauseam, animo mœrorem, thoraci dyspnœam cum angustiâ, cordi παλμὸν, lipothymiam, febrem, toti corpori atrophiam, gangrænam, & alios affectus scorbuticos ab alijs discrepantes, soli perito Medico cognitos.



VAMVIS iste affectus quibusdam sit συγγενής, alijs σύντροφος, plerisque tamen sæpissimè est ἐπίκτητος, quem vel contagium vel diæta φαύλη καὶ φλαύρα progignit, cùm scilicet alimenta ἀνεπιτήδεια, ἄχρηλα, καὶ ἰχυρά, quales carnes bubulæ, caprinæ, aprugnæ, muriâ asseruatæ, volucres aquaticæ, panis biscoctus, pisces fumo, sole, sale aut frigore exsiccati, aqua corrupta, verminosa, cereuisia malè parata, tantâ copiâ assumuntur, vt à vi coctrice pro viribus non rectè subigantur ad perfectam chylosim defectu μετασχηματισμοῦ, sed fit μᾶλλον ἡ antecedens tantùm, non proxima causa Scorbuti: quapropter inter κοινοὺς ἁπλῶς nonnunquam reponitur, ex diætæ communis vitio, vt inter τὰς σποράδας ex particularis. Aërem nec vnicam nec præcipuam eius causam agnoscimus, nisi adsit τὸ μίασμα, proindéque non est ἐπιδήμιος, frigidus tamen, crassus, qualis in regionibus maritimis, locis paludosis, carceribus vliginosis, cæteras causas adiuuat; vita etiam deses, mensium vel hæmorrhoidum suppressio, somnus vel vigiliæ immoderatæ, tristitia, febres quartanæ, humorem melancholicum cumulando, hunc affectum inducunt, sæpiùs & grauiùs Vere, & Autumno debacchantem, cui fœminæ viris, vrbani agricolis, magis obnoxij: periculosiùs senes iuuenibus.



AVD facilè peruicacem hunc affectum superaueris. Laudantur magis antiscorbutica, quæ καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν, obstructiones mesaræi & viscerum potenter soluant, quàm quæ simplici qualitate δύσπεπτον intemperiem emendant. Anagallis aquatica, cochlearia, britannica, nasturtium aquaticum, vulgaribus ἐκφρακτικοῖς præferenda; hîc tamen anteponimus sectionem venæ cubitalis, non saluatellæ, κατ' ἐπαφαίρεσιν, per interualla vsurpandam, purgationem frequentem & blandam κατ' ἐπίκρασιν. Apage μοχλικὰ, antimonialia, extracta chymica, & omnis generis ἐμετικὰ; sectio saphenæ, hæmorrhoïdúmque apertio, sæpe iteranda, aquæ Spadenses, ferro, chalcantho, sulphuréque medicatæ, intus forísque vsurpandæ. Quid de Scorbuti symptomatis? singulis sua competit curatio, ex affectæ partis & affectus contra naturam conditione desumpta; dicam verbo inter cætera, mutatione aëris morbosi cum sano, prauæque victus rationis cum bonâ viuendi lege, ex cibis εὐπέπτοις, vino optimo, vt Belnensi, & caprillo lacte ad contabescentes reficiendos, efficacius nihil deprehendes.

Ergo Scorbuto victus aërisque mutatio. 188

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS GVERIN Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Boujonnier.	*M. Franciscus Quicquebeuf.*	*M. Nicolaus Henault.*
M. Ioannes Berault. P. R.	*M. Claudius Lienard.*	*M. Philbertus Guybert.*
M. Franciscus Mandat.	*M. Renatus Moreau.*	*M. Ioannes Pietre.* Decanus.